



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 80. Constitutiones Julii II. de electione Pontificis, & Beneficiorum provisionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Papa anno salutis millesimo quingentesimo Cardinalis tit. S. Agathæ renunciatus est, postquam ob egregias animi doctes, morumque integritatem Rector Academiae Patavinæ constitutus, præclaram probi viri famam non immerito tulisset: hic cum iter suum in Hispanias prosequeretur, Mediolani e vita migravit, & corpus ejus Romam delatum in Ecclesia S. Mariæ de populo cum præclara inscriptione tumulatum est. Alter erat Franciscus Spratzius natione Hispanus, Episcopus Legionensis, qui anno priori, adepto SS. Sergii & Bacchi titulo, Purpuratorum Collegio adscriptus fuit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1505.

§. LXXX.

Constitutiones Julii II. de electione Pontificis, & Beneficiorum provisionibus.

Cum in Romanorum Pontificum electiones non pauci abusus irrepsissent, eoquod nonnulli per vias minus legitimas, ac nonnunquam per pollicitationes officiorum, dignitatum, ac pinquum Beneficiorum Cardinalium suffragia non sine simoniæ vitio sibi conciliaissent, hinc Julius II., ut ejusmodi foeditati, cuius Sedes Apostolica vehementer infamabatur, & a qua forte nec ejus quoque electio penitus immunis erat, imposte-

Ex Bullar. Jul. II. tom. I. Constit. 3. & 4. Spond. hoc ann. n. I. Raynald. n. 1 & 2.

N n 4 rum

Sæcul. XVI. rum occurreret, die decima quarta Ja-
A. C. 1505 nuarii anno millesimo quingentesimo
 quinto Constitutionem edidit, qua sta-
 tuit, quod summi Pontificis electio, si
 qua Simonia in ea, vel ab electo, vel
 ab eligentibus committeretur, eo ipso
 nulla censeatur. Insuper præcipit, ut
 contra ipsum uti Hæreticum agi possit,
 implorato etiam judicii sæcularis auxilio,
 eo fine, ut electus exauctorationis pœ-
 na mulctari valeat; statuit etiam, ut tam
 ipse, quam illi, qui ad ejusmodi electionem
 operam contulerunt, privati sint Cardi-
 nalatu, aliisque omnibus beneficiis, feu-
 dis, dignitatibus, ac bonis &c., ii vero
 Cardinales, qui Simoniam non consense-
 rint, electionem alterius Pontificis infi-
 tuere possint, & Concilium etiam gene-
 rale indicere, ac convocare. Idipsum
 equidem remedium est utilissimum juxta
 ac sanctissimum, ejus tamen executio
 difficillima, prævalente immoderata ho-
 norum cupiditate, qua potissima homi-
 num pars, & ferme semper illi, quibus
 dignitates consequi integrum est, pluri-
 mum infecti sunt.

Idem Pontifex die vigesima octava
 Julii ejusdem anni aliam promulgavit
 Constitutionem, qua Sedis Apostolicæ
 commodis magis intentus præcepit, ut
 omnes, qui de hodierno usu a Curia Ro-
 mana

mana Beneficiis providentur, eam acce- Sæcul. XVI.
derent, atque Annatas solverent: hanc A.C. 1505.
in rem alias ab Antecessoribus suis super
his editas Constitutiones confirmavit.

§. LXXXI.

Fœdus Papæ, Cæsaris, & Galliarum Regis adversus Venetos.

Cum Veneti fines suos latius ubique Marian. lib. 28.
extendendo Ecclesiæ ditionibus, necnon Ducatui Mediolanensi, ac ipsi
etiam Augustissimæ Domui Austriacæ
non leve detrimentum inferrent, hinc
Julius Pontifex illis graviter indignatus,
adversus eos potissimum promovere con-
nabatur armorum societatem, Cæsarem
inter, & Franciæ Regem Blesi initam.
Equidem Papæ jura, ad quæ vindican-
da foederatis accesserat, haud exigui
erant momenti, quippe Ravennam, Cer-
viam, Faventiam, Ariminum, Forum
Cornelii, harumque urbium territoria
Sedi Apostolicæ, cujus antea erant,
restitui petebat. Hac rerum conditione
Cæsar rebus suis haud defuit; Rex quo-
que Galliarum Mediolani Ducis jura fe-
cit sua. Ad idem foedus invitabantur eti-
am Ferrariæ Dux, Marchio Mantuanus,
Florentinorum Respublica, atque Hun-
gariæ Rex, adeo, ut ex tot Foederato-
rum numero, ac potentia Venetis vix
non